

57. Quid enim obsecro cum Tyrannide magis coniunctum esse potuit, quàm quod Antichristus, Pontifex Romanus, & Episcopi merum ac mixtum, infinitum & absolutum sibi imperium in Ecclesiam arrogarunt.

58. Vnde ea tribuebant Pontifici Romano privilegia, assentatores & palpones Romani, ad quos pius quisque exhorrescit: ut,

1. Quòd Romano Pontifici omnis humana creatura subesse debeat, idque de necessitate salutis. Bonifac. VIII. in Extravag.

2. Quòd papæ tradita sit omnis potestas in cælo & in terra.

3. Quòd etiam super Angelos iudex constitutus.

4. Quòd immutare possit rerum naturam: & aliquid de nihilo facere.

5. Quòd major papæ potestas, quam omnium sanctorum. Baldus.

6. Quòd contra jus, supra jus, & extra jus omnia possit.

7. Quòd papæ potestas extendat se ad cælestia, terrestria, infernalìa.

8. Quòd omnia subiecta sint pedibus ipsius, iuxta Psal. 8. Oves, id est, fidelium anima: boves, id est, Iudæi: pecora campi, id est, Ethnici: volucres cæli, id est, beatæ cœlites: pisces maris, id est, anima defunctorum.

Quod